

Devota mea officia Artis nostrae principi L. B. v. Swieten dicas, quodque dederim Profess. de Forskåll in mandatis colligere nummos arabicos magno viro significes.

(Datae epistolae tempus adscriptum non est, adnotatur manu Jacquinii: accepi 21. Octobris 1759, respondi 24. Octobris.)

### 3.

Viro vere illustri DD. N. Jacquinio Botanico sagacissimo s. pl. d. Car. Linnaeus Equ. aur.

Datas a Te Vir suavissime d. 24. Octobris accepi, nec umquam ditiores. Tu me docuisti unica epistola plura quam annuus labor porrigat, acutus et sincerus es ubique.

Laetor quod Ximeniae character mihi innotuerat, quem D. Dalibard communicare noluit, a se visum in Africa.

*Comajandura* planta est cujus figuram numquam satis intueri et admirari potueram. Dedi p. m. Loellingio in mandatis, quod hanc plantam omni studio inquireret (ut patet ex epistolis in libro ejus); ipse non obtinuit, sed alio in mandatis dedit inquirendi, qui Mexico adiit. Nihil mihi gratius contingeret quam scire quomodo character ejus se habeat, cum adeo singularis sit figura Hernandes ut nulla ratione queam intelligere pedem floris.

*Monnieria* certe est *Gratiola*.

*Pisonia* mea nullum fructum umquam dedit, adeoque certe se habebit ut doceas.

*Hernandiam* egregie illustrasti.

*Euphorbia* VI. flos aequae irregularis est in *Euphorbia* Tithymaloide *Tournefortii*.

*Loranthi* mei fructus descriptus est secundum *Vaillantium*, sed ille erravit, *Brownius* rectius habet et ejus *Scurula* est eadem.

*Dalechampia* character plane admirabilis est.